



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Mors anachoretæ, & eius Interfactoris. Capvt. XXI.

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

ros ipsos priuare vultis Regno cœlorum. Væ humanæ miseræ. Propter vnus horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini. Ego autē præmio fœtore in terrâ corruui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, crexit me. Et gratias agens Deo reuersus sum in locum meū.

*1* Ecce quàm mirabili visione voluit Deus sanctū virū à peccato seruare, omnesq; monachos edocere, nō debere eos institutum suum deserere, carnis concupiscētia tē-  
tatos.

*Conuersio cuiusdā militis ad miraculū Dei in se, factum, cuius etiam vita cōpendiosè describitur.*

## CAPVT. XX.

**N**ARRAVIT nobis quidam Patrum, accepisse se à quodam milite, quod cum bellū in Africa gererent Romani cum Mauritanis, victique fugarentur à Barbaris, ac plurimi illorum partim cæderentur, ipsum quoque vnus ex Barbaris nactus, hastam, vt illum feriret, vibrare cepit. Quod ille cum cerneret, orare Deum cepit, ac dicere: Domine Deus, qui apparuisti ancillæ tuæ Theclæ, & eripuisti eam de iniquorum manibus, libera & me de hac necessitate, & salua ex hac acerba morte, mox ibo in eremum, & agam vitam solitariam. Conuersus autem neminem ex Barbaris vidit. itaque continuò venit ad hanc Lauram Cupatha. Manseratque iam in spelunca, Dei se protegente gratia, annos trigintaquinque.

*1* Vide vota cū adiecta cōditione fuisse in vsu etiā apud priscos patres, & post emissionē, adiectæq; conditionis eventum ab illis fuisse impleta.

*Mors anachoretæ, & eius Intersectoris.*



**A**Bbas Gerontius Præpositus mōasterij sancti Patris nostri Euthymij, narravit mihi, & Sophista Sopho: onio dicens. tres simul eramus trans mare mortuum, ambulantesque nobis in montem, Anachoreta quidam aliusque maris ripam deambulabat. Contigit autem Sarracenos transire per loca illa, & occurrere illi. Cū ergo præterissent illum, reuersus vnus eorū is Anachoretę caput abscidit, nobis de longinquo spectantib. iam enim conscenderamus montem. Cum vero lachrymaremur tristes propter Anachoretę casum, repente cernimus <sup>1</sup> auem superuenientem, raptum Sarracenum in sublime ruisse, atque in de in terram illum dimisisse, ex cuius lapsu Sarracenum interiisse.

<sup>1</sup> *Disce ex hoc loco Sancti non inferre nocentia.*

*Vita alterius senis cononis.*

**S**ENEX quidam erat in Cœnobio sancti patris nostri Theodosij, nomine Conon, Cilix genere, hanc vitę normam per triginta annos <sup>1</sup> custodiens. Semel comedebat in hebdomada panem & aquam, & sine intermissione operans, nusquam de Ecclesia egrediebatur.

<sup>1</sup> *Tria hic habes, Miram abstinentiam, Aquam potum, Operum manuum.*

*Vita Theoduli monachi.*

**A**LIVM vidimus senem in eodem monasterio, Theodulum nomine, qui miles antea fuerat.